

physia. Licet sit *dogma universale totius generis humani*, quotidiana & continua cuiusvis experientia & conscientia certissimum, & a quibuscunque Philosophis & Theologis constanter agnitum & assertum; ipse tamen post *Spinozam*, *Geulingium*, & paucos alios, id negare sustinuit. Motus quidem certe fieri in corpore statuit, quum anima eos desiderat; sed *operationem animæ*, qua motum in corpore producere possit, negat *in experientia esse fundatam*, eamque plane tollit. *Harmoniam finxit præstabilitam* actionum mentis & corporis, absque unius in alterum *operatione*; quæ sive verbis *Laqueloti*, sive *Leibnizii* alicuius sequacis, ita explicatur Act. Lips. A. 1705. Mens. Dec. p. 553. *Celeb. Leibnizius* corpus considerat tanquam *machinam tensam & dispositam* ad efficiendos omnes motus, quos producit; ut & animam tanquam *machinam tensam*, omnes continentem ideas, sese successive evolventes, modo motibus omnibus corporis conformi & correspondente. . . . Hoc modo *anima & corpus* se fere habent, ut *duo horologia pendula*, quæ motus suos pariter *isidemque momentis exercent*. Et pag. 574. *Tale automatum non est impossibile Deo*, &c. Egregia probatio, qua effectus probatur ex omnipotentia Dei; sed a posse ad esse non valet consequentia. Et contrarium docet universalis experientia; contra quam stupendum hic supponitur *miraculum*. Hinc fingit Cl. quidam *Leibnizii* assecla, *in anima statum præcedentem fundamentum sequentis in se continere debere*, *perceptionum animæ pariter immutabili, seu non interrupto ordine alias ex aliis sequi*; licet nec ostendi queat ullus nexus, nec sequela, ita tamen dicitur & supponitur.

VIII. Sed ut eo magis pateat, hanc non esse *Philosophiam*, sed meram *Φιλοσοφίαν*, addam hæc opinionum portenta: *cum corpus nihil plane ad sensationes animæ conferat, omnes eodem modo sequerentur, etiam si ne mundus quidem ipse adesset*. Imo. . . . nos etiam omnia extra nos visuros, audituros, & alio modo percepturos esse, etsi de rebus corporeis extra nos nihil plane adesset. Et vice versa: omnes motus in corpore eodem modo, quo iam eueniunt, euenturos esse, etiam si non adesset anima. Ergo non possemus cognoscere, esse aliquem mundum corporeum; (*idealistas dicunt Philosophos ita opinantes*;) nec quoque esse præter nostras alias mentes. Præterea, *os e viribus corporis posse omnia ad ratiocinationes requisita verba proferre, sine ullo commercio animæ: sic & rationales calami scriptiones sine ullo a-*
nimæ